ARCHIVO

43

DE LA

EXCMA. DIPUTACIÓN PROVINCIAL

SEVILLA

SECCIÓN HISTÓRICA

Legajo ....

Número ....

Nº. 41. -

43

Ejecutoriales del tribunal dela Rota, contra el Prior del Convento de San Pablo = 26 de Octubre del 1.611-

DIPUTACION DE SEVILLA

Fecha: 1611

Tipología documental y descripción de contenido:
EJECUTORIALES CONTRA EL PRIOR DE S. PABLO

Medidas: 49 (44+5) x 31 cm.

Estado de conservación: BUENO

Observaciones:

Procedencia (legajo): HOSPITAL DE LAS CINCO LLAGAS.
LEG. 3

Signatura: PERGAMINOS, 26
HOSPITAL DE LAS CINCO LLAGAS, LEG. 3

DIPUTACION
DE
SEVILLA

Fecha: 1611

Tipología documental y descripción de contenido:
EJECUTORIALES DEL TRIBUNAL DE LA ROTA CONTRA EL PRIOR DEL CONVENTO DE S. PABLO.

Medidas: 48'5 (42'5+6) x 31'5 cm.

Estado de conservación: BUENO

Observaciones:

Procedencia (legajo): HOSPITAL DE LAS CINCO LLAGAS
LEG. 3

Signatura: PERGAMINOS, 25
HOSPITAL DE LAS CINCO LLAGAS, LEG. 3

Serenissimo Potentissimo ac Catholico Principi et Domino Domino Philippo
ab Austria Divina favente Clementia Castellae Aragonum Portugaliae Ne-
apolis utriusque Siciliae citra et ultra Pharum Regi, Mediolani Lucemburgi
Duci, Burgundiae Flandriaeque Comiti, et aliorum Regnorum et Dominiorum
vestrorum foelicis prosperitatis augmentum. Necnon Reverendissimis DD. Dei
et Apostolicae Sedis gratia Ispalensi Archiepiscopo, ac Cordubensi et Gadi-
censi Episcopis, eorumque et cuiuslibet ipsorum in spiritualibus et temporali-
bus Vicariis, seu Officialibus Generalibus, Curiaeque Causarum Camerae Apos-
tolicae Generali Auditori eiusque Vice Auditori seu locumtenenti. Universis quoque et
singulis DD. Abbatibus Prioribus Praepositis Decanis Archidiaconis, Scholasticis,
Cantoribus Thesaurariis Sacristis Ceterisque Presbiteris Clericis Notariis
et tabellionibus publicis quibuscumque ubilibet constitutis et eorum cuilibet
insolidum; et praesertim R. D. Priori Monasterii S.ti Pauli Ordinis Praedica-
torum Civitatis Ispalensis ex adverso Principali, Omnibus quae aliis et singulis
quorum interest intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum
quibuscumque nominibus censeantur, et quacumque praefulgeant dignita-
te; Joannes Baptista Pamphilius Juris utriusque Doctor S.mi D.
Nostri Papae Capellanus, et ipsius Sacri Palatii Apostolici Causarum Auditor
Causaeque et causis ac partibus infrascriptis Judex Commissarius ab eodem
S.mo D. N. Papa specialiter deputatus, Salutem in Domino, nostrisque
quae litteris imo verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis nos
infrascriptam Commissionem nobis nuper praesentatam huiusce tenoris subsequentis
videlicet, Beatissime Pater Exponitur humiliter S. V. pro parte devo-
torum illius Oratorum Priorum Monasteriorum S.ti Isidori et S.ti Hiero-
nymi Civitatis Ispalensis Ordinis eiusdem S.ti Hieronymi, Necnon Prioris
Monasterii B. Mariae de las Cuevas Ordinis Cartusianorum praedictae
Civitatis Patronorum et Visitatorum a fundatore relictorum, seu alias
deputatorum Hospitalis Quinque Plagarum eiusdem Civitatis, quod
licet in Rota per sententias et literas executoriales olim a bo: me: Car-
dinale Seraphino Olivario tunc Rotae Auditore relaxatas fuit adiudica-
tum ius visitandi praedictis Oratoribus et insuper ad instantiam eorundem
Necnon Administratoris dicti Hospitalis fuit prohibitum Priori S. Pauli Or-
dinis Praedicatorum eiusdem Civitatis ne posset visitare praedictum Hos-
pitale nec aliqua iurisdictionalia exercere in praedicto Hospitali et
super eius Administratore et aliis Ministris et legatis ac operibus piis
in praedicto Hospitali adimplendis. Nihilominus modernus Prior eius-
dem Monasterii S.ti Pauli nonnulla attentavit, et innovavit, seu at-
tentare ausus fuit, voluitque et tentavit in vilipendium praedictarum
literarum executorialium Rotalium, et in maximum praeiudicium
ipsorum Oratorum, quorum propterea interest obtinere declaratoriam
in eorum censurarum coram R.p. D. Pamphilio in locum bo: me: Cardi-

nalis Seraphini suffecto contra predictum Priorem et licet credatur predic-
tum D. Auditorem posse ad declaratoriam et aggravatoriam ac ad alia
Juris remedia contra predictum Priorem S.ti Pauli procedere, nihilomi-
nus ne de Jurisdictione contingat dubitari, Supplicant humiliter S. V.
Oratores predicti quatenus dignetur Committere et mandare eidem
R. P. D. Pamphilio ut ad declaratoriam et ad alia Juris remedia prout
de Jure et servata forma Concilii Tridentini deveniat et in Causa
huiusmodi procedat partibus Justitiam ministrand. cum potestate ci-
tandi predictum ad.m omnesque alios &. illisque inhibend. ac absen-
tentia, Censuris et penis aliisque facultatibus necessariis et opportunis
premissis ac Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis Stilo Pala-
tii et Curie ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque Ta-
men & aliorum que & pro plene et sufficienter expressis habend.. De Man-
dato D. N. Pape idem Auditor procedat prout de Jure, et Justitiam
faciat. Placet D. N. Pape prout de Jure: M. Cardinalis Barberinus.

Cuius quidem Commissionis vigore nos in Causa et Causis huius-
modi coram nobis legitime introductis et devolutis ac inter Partes
in eadem Commissione Contentas rite procedendo servatis servandis
ac cognitis ad plenum eiusdem Cause meritis de Dominorum Coaudi-
torum nostrorum Consilio et assensu (quibus de eiusdem Cause meritis
relationem plenariam fecimus, et fidelem) nostram diffinitivam
in scriptis tulimus et promulgavimus Sententiam in hunc qui sequitur
Sent.a modum Videlicet. Christi nomine invocato pro tribunali
sedentes et solum Deum pre oculis habentes, per hanc nostram diffini-
tivam Sententiam quam de Dominorum nostrorum Coauditorum
Consilio et assensu ferimus in his scriptis in Causa et Causis que
alias coram bo. me. Cardinale Seraphino Olivario dum Rote Auditore
inter RR. DD. Priores Monasteriorum S.ti Hieronymi et S.ti Isidori
Ordinis eiusdem S.ti Hieronymi, et B. Marie delas Cuevas Ordinis Cartu-
sianorum Civitatis Hispalensis Patronos et Visitatores Hospitalis Quinque
Plagarum prope et extra muros eiusdem Civitatis Hispalensis ex una,
ac Priorem Monasterii S.ti Pauli Ordinis Predicatorum eiusdem Civi-
tatis ex altera, de et super Jure visitandi et quomodolibet Jurisdic-
tionem exercendi in predicto Hospitali, eiusque Ministris Personis et
bonis, quod Jus visitandi et Jurisdictionem exercendi predictus Prior
S.ti Pauli sibi competere pretendebat ex eo quod Jus videndi, sciendi
et perscrutandi si et quomodo legata pia adimplentur in dicto